5 95

DE REFOR: MATIONE ECCLESIAE.

SVASORIA. R.P.D. ZACHARIAE FERRERII Vicentini Pontificis Gardien. Fauentiæ & Vallis Hamonis gubernatoris dudum missa ad Beatiss. Patrem Hadrianum. VI. Pontificem Maximum. Et inscribitur, *Tu es qui uenturus es, an alium expectamus?*



Beatus uir cuius est Dominus spes eius, *& non respexit* *in uanitates, & insanias falsas.*



VENETIIS,
Ad Signum Spei. M D LII.

1 ½



DE MANDATO GENERALIS CONSILII CIVITATIS FAVENTIAE.



Ntiani pręſideñ.regimini ciuitatis Fauentiæ pro. S.R.E. & Sanctiſs. D.N. Domino Hadriano Papa ſexto uniuerſis ſalutem. In uita mortalium nihil religioſius & fide obſeruantius eſſe arbitramur, q̃ teſti monium ueritati perhibere. Illius nanq; teſtim onio additus mendacio pręcluditur, & os iniqua loquentium obſtruitur. Cũ Reuerendiſs. itaq; ac Illuſt. dominus. D.B. Epiſcopus Oſtieñ. Cardinalis ſanctæ Crucis, cui Ciuitas Fauẽtiæ ſorte adminiſtranda euenit, nobis Reuerendiſs. præſulẽ Dominum Zachariam Ferrerium Vicentinum Epiſcopum Gardienſem in gubernatorẽ, ac moderatorem huius Ciuitatis delegaſſet, par duximus pro noſtro officio regiminis ſui aliquod teſtimonium præbere. Nouerint igitur omnes & ſinguli, ad quos pręſentes noſtræ peruenerint literæ præſulem hunc Gardieñ. qui Ciuitatis noſtræ habenas per annum cõtinuum ſalubriter, ac ſapienter moderatus eſt, populum Fauentinum mira cum dexteritate, prudentia, integritate, & cum maxima omnium beniuolentia rexiſſe, & gubernaſſe. Is nanq; Reuerindiſs. antiſtes, in quo ueluti in ſpeculo omnia uirtutũ honeſtamenta conſpiciuntur, & omnis ſacroſancti iuris amplitudo eniteat ac ſplendicat, iuſtitiam, & æquitatem ſeruauit, omnibus ius ſanctiſsime dixit, cunctorum deſyderia lubenter audiuit, lites mira cum dexteritate conpeſcuit, negocia cum magna prouidentia decidit. Eum nulla largitio, nulla gratia, nullaq; cupiditas trãſuorſum trudit a recte conſulendo, recteq; iudicando.

Malos, facinorososq; insectatus est, Bonos uero fouit, & extulit, Ciuitatemq; Fauentię summa cum prudentia in magnis rerum ac periculorũ fluctibus pacatam, tranquillamq; conseruauit, quando Sanctissimi. D.N. aduentum in Italiam expectabamus, & non parua aderat populis peccandi licentia. Inter cætera uero quæ in eo fulgent uirtutũ omnium ornamenta, illius temperantiam, & uiuendi normam exactissimam, uigilantiam, & in audiendo omnes patientiam incõparabilem non possumus non summopere laudare, & com tota eius domus ac familia sit bene instituta ciuitatem quoq; nostram optimis exemplis, & institutis condecorauit. Hæc igitur ad perpetuam rei memoriam, & laudatissimi, probatissimiq; hactenus moderatoris nostri laudem, & cõmendationem scribenda, ac omnibus significanda censuimus: quoniam hic insignis pater Episcopus Gardieñ. doctrina, & moribus illustris bene meretur, ut omnes de se quamoptime mereantur, ob idq; populum hunc Fauentinum summo officio, amicitia, & beniuolentia, & summa in se obseruantia sibi in perpetuum deuinxit. In quorũ omnium & singulorum robur, fidem, & testimoniũ præsentes nostras per infrascriptum cancellarium nostrum fieri mandauimus cum impressione maioris sigilli communitatis nostræ. Dat. Fauentiæ in Camera uiridi palatij populi nostræ solitæ congregationis. Anno Domini. M. D. XXIII. Die autem duodecimo Mensis Martij, & hoc de mandato generalis consilij eiusdem Ciuitatis Fauen͂. &c.

Camillus Citadinus Cancell. mandato subscripsit.

Petrus Pritellus. V. Cancell. mandato subscripsit.

DE REPARANDA MYSTICA DOmo Dei, Zachariæ Ferrerij Vicentini Pontificis Gardieñ. Fauentiæ & Vallis Hamonis gubernatoris ad Beatiſsimũ patrem Hadrianum. VI. Pontificem Maximũ Suaſoria: quæ inſcribitur, Tu es quiuenturus es, an alium expectamus?



PTABAM Vel mare traĳcere, uel alpes tranſcendere, difficiliq́;, ac longo itinere Hiſpaniæ fines penetrare, ire & uidere uiſionem hanc magnam, ſignum hoc, quod dominus leuauit in nationibus, uerbum hoc, quod in te Hadriane pater beatiſsime fecit, & oſtendit nobis, feciſſemq́; uoto ſatis: ni diutino obitæ apud Sarmatas apoſtolicæ legationis labore feſſus (cum ex illis regionibus longiſsimo terrarũ tractu nuper me in urbem contulerim) quiete, ac reſpiratione pro corporis debilitate indiguiſſem, moderandæq́; Fauentinæ Ciuitatis, & Vallis Hamonis onus meis humeris a patribus impoſitum ſuſcipere cõpulſus eſſem. Verum quod abſens, & infirma caro ſui præſentia nequit promptus ſpiritus epiſtolis non refugiet. Vidi quod ſapiens ille ſcribit, Cor regis in manu Domini, quocunq; uoluerit uertet illud, ſi unquam priſcis temporibus adimpletum eſt, in hac de te ad ſummum pontificatum prouectione noſtra tempeſtate locum ſibi uendicaſſe, quandoquidem multis diebus, ac noctibus, in ancipiti poſiti patres, ac quen nam in uerum Chriſtiani populi pontificem in demortui locum ſufficerent diu animo uolutantes te

Exod. 3. *Eſai. 5.* *Luc. 2.* *Prouе. 21.*

unum (nonmodo absentem) sed & longe in orbis limitibus positum nil ad id aspirantem, nil prorsus de ea re cogitantem post uarias, diuturnasq; disceptationes uno (ut ita dicam) momento in Christi Vicarium, & Petri successorem præter humanam spem omnem procul ab omni labe mundissime ele

Psal. 117. gerunt. Quod sicut non ab hominibus, sed a Domino factum esse liquido apparet, ita non nisi magni quicpiam pręsagire coniectamus. Arbitramur enim summum rerum opificem nostri haud immemorem tot quæ religioni incumbunt discriminibus, tot fere alias inauditis malis, tot periculis, tantæ qua obuersamur clamitati, tantæ demum iniquitati, quæ

Matt. 24. hodie frigescente charitate passim abundat, & dominatur te opportuno obijce occurrere uoluisse. Quod ut fiat ipsum omnipotentem Dominum supplices deprecamur, Expectamus quippe diu pro instauranda Hierusalem hac mystica, quæ sua uetustate attrita & corrosa ruinam minatur, angelicum

Matth. 11. Pontificem aduenturum. Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Si tu is (quod absit) non es, qui ita mire ad hoc ministerium assumptus es, non assumens tibi honorem hunc, sed uocatus a Deo tan-

Hebr. 6. quam Aaron, quem amplius expectabimus? Quem præstolabimur? Si tu Hierusalem hanc ingrediens

Ioan. 2. facto flagello e triplici illo funiculo fidei, spei, & cha

Eccles. 4. ritatis, qui difficile rumpitur non eijcis ementes, & uendentes columbas de templo Domini quis alter eijciet? Si tu diuturnis dissidijs, ac intestinis bellis discerptam, diuisamq; ciuitatem dei hanc non con-

Ioan. 10. nectis, & auctore domino non resarcis, non consolidas, ut sit unum ouile, & unus pastor, quis alter resarciet, quis alter connectet, quis alter consolida-

Psal. 146. bit? Si tu fines eius pacem non ponis, & adipe fru-

mēti salutaris doctrinę(ut prisci & sancti olim Pontifices consueuere) eam non satias, non pascis, quis alter ponet, quis alter pascet, quis alter satiabit: quia parauli eius petierunt panem, & non est qui frangat eis? Si tu insatiabilem lupum turcarum tyrannum, qui cruento rictu tot Christi pecudes quotidie dilaniat, deuorat, deglutit, absumit, & non modo ianuas nostras, sed & domos iandudum intrauit nō coerceas quis alter coercebit? Si perimendo in eo errorem ac suscitando fidē quę periere domus Israel oues nō quæsieris, quis alter quæret? Si tu filiæ Sion Orientali Ecclesiæ ablato caluitio capitis sui baltheum & mitram decoris non restituis quis alter restituet? Si tu positus nunc a Deo super gentes & regna non euellis, non destruis, non ædificas, & plantas, quis alter tot hæresum & schismatum sentes, radicesq; euellet? Quis alter tot uitia, tot abusus in Ecclesia destruet, ædificabitq; Hierusalem ciuitatem nouam, & plantabit in ea uirtutum pulchritudinem, pietatem, religionem, & nouum hominem, qui secundum Deum creatus est? Si tu malis artibus aucupantes, occupantesq; sibi sacerdotium, & cathedram inextinguibili dominandi cupiditate, ac tyrannide percitos, tantaq; ambitione assumentes sibi honorem, & potestatem tanquam filios Chore flamma diuinæ ultionis non consumpseris, quis alter Moses consumet? Quis alter hos pseudo sacerdotes a seipsis uenientes, & non a Deo missos e domo domini eliminabit? Si tu non es sanctum illud, mundum, & immaculatum instrumētum, per quod conflans, & emundans argentum purgabit dominus filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, ut sint offerētes domino sacrificium in iustitia, quod aliud iam futurum immorabimur, expectabimus?

Tren. 4. *Matth. 15.* *Esa. 3.* *Hier. 1.* *Apoc. 22* *Col. 3.* *Num. 16.* *Mal. 3.*

Electorum Christianorum mœror.

TV ergo es qui uenturus es, quem boni, & ele-
cti Dei homines diu prꝗstolantur, an aliū expe
ctamus? Super flumina Babylonis huius, quæ
Psal. 136. ætate nostra est, iandudū sedimus, & fleuimus dum
recordaremur illius Sion: quæ in primordijs suis
tam pura, tam syncera, tam speciosa fuit, ut omnium
credētium esset cor unum, & anima una in domino,
Act. 4. ut nemo quæreret quæ sua sunt, sed quæ Iesu Chri-
sti: quæ tantum ab omni humana cupiditate libera
erat: ut nemo etiam quicꝗ proprij diceret, sed essent
eis omnia communia. Vere Sion quę de alto diuinæ
illuminationis fastigio inferiora hæc caduca, & mo
Hebr. 13. mentanea speculans, hicꝗ ciuitatem permanentem
se non habere perspectans futuram quæsiuit æter_
nam, & immarcescibilem in cœlo. In salicibus ama.
Psal 137. ritudinis, & tristitiæ in medio eius suspendimus or.
gana nostra, quoad mittatur qui mittendus est,
Luc. 2. quoad in tenebris nunc & in umbra mortis cæcu.
tientes oculi nostri uideant salutare tuum Domine:
quod parasti ante faciem omnium populorum. Ex-
pectamus Pontificem sanctum, qui abolito mœrore
Psal. 136. organa nostra soluat, ut cantemus de canticis Sion:
qui fugatis tenebris oriatur nobis uti splendor glo-
riæ æternæ, & lucerna ardens, ut luceat lux eius co
ram hominibus, et uideant bona opera eius, ac glo-
rificent patrem qui in cœlis est. Tu sacerdos san-
Matth. 5. ctæ, tu Pontifex beatæ, tu antist se tam mire electe,
es qui uenturus es, an alium expectamus? Ita enim
hodie in profunda omnium malorum deuenimus: ut
nisi dominus supernæ gratiæ, ac spiritualis renouatio
Esai. 1. nis in te saltem semen nobis reliquerit quasi Sodo-
ma, & quasi Gomorra futuri simus. Iam enim nouit
tua. B. iam reges terræ, & omnes populi, iuuenes, &

uirgines,senes cum iunioribus nouere,& a quattuor uentis terræ nemo est qui ignoret abhominationẽ desolationis,quæ dicta est a Daniele propheta stantem in loco sancto. Mihi quidem infœlici sacerdoti dum legationem sarmaticam agerem audiuisse, uidisseq́ contigit quę non modo dicere,(uerũ,& cogitare erubesco) de nobis sacerdotibus:qui manducamus panem doloris:qui abrasum uerticem,bicornem infulam,& candidissimum linum frustra gestamus:qui eum habitum,ea insignia:quę mundi huius contemptum, quæ mentis mundiciam, quæ sanam doctrinam, ipsiusq́ integritatis apicẽ in nobis præferunt,non ad spiritum qui uiuificat,sed ad litteram quæ occidit transtulimus. Hoc me acrioribus stimulis ad scribendum,& ne sim canis mutus, ad latrandum pro domo domini cõpellit. Vereor enim ne obscuratũ sit aurum, mutatus sit color optimus, ac dispersi sint lapides sanctuarij in capite omnium platearum, & sicut populus, sic & sacerdos. Hinc oriuntur schismata,hinc hæreses,hinc scandala in ecclesia dei,nec grex pastoribus,nec pontificibus principes parẽt,nec sacerdotes ueneratur populus. Hinc exeunt monstra, immundaq́ animalia aper de sylua,& singularis ferus ad depascendum uineam domini Sabaoth. Hinc aperuit,& in cœlum posuit luteum os suum impia bellua Martinus Luterus, uipereaq́ cauda sequela suorum magnam partem stellarum in Germania,in Sarmata,in Pannonia detraxit in terram. Id ego ipse his oculis perspexi,quum immẽso propemodum labore erroneas traditiones illas,quæ plurimorum mentes infecerant e Sarmatia,& ex contigua quę Regno Poloniæ adiacet Germania uix eliminare potui. Testis est dominus, cuius oculis omnia nuda,& aperta sunt quantum con

Matt. 24.
Psal. 126.
2. Cor. 3.
Esa. 56.
Tren. 4.
Psal. 76.
Apoc. 12.

tra portentum hoc reluctari oportuit, quibusue uitæ periculis pro ea peste procul eijcienda a me insudatum, & decertatum est. Benedictus autem deus:

1. Cor. 15. Psal. 71. qui dedit nobis uictoriam per Iesum Christum. Benedictum quoque nomen maiestatis eius in seruo suo Sigismundo Sarmatiæ Rege religiosissimo, inuictissimo: qui uti columna solida in templo domini nullis unquã,

Apoc. 3. ut dogma illud luterinum & luteum per regnum tacitus diuagari sineret, aut toleraret malorum hominum uerti, concutique persuasionibus potuit. At sicut Christianissimo principi par erat uallum pro religionis syncæritate se fecit, & scutum

Ephe. 5. pro. S.R.E. se opposuit. Hoc sane dico: quoniã dies mali sunt. Hoc de nobis sacerdotibus aio: quoniam si nosmetipsos dijudicaremus non utique dijudicare-

1. Cor. 11. mur. Videamus nos qui sal terræ teste domino su-

Matth. 5. mus, an forte sal infatuatum simus. Videamus si cõ-

Pet. 2. scientia hæc quam nobis fecimus secundum deum, an secundum hominem sit.

Malorum sacerdotum & ministrorum electio.

2. Mach. 4 QVærit hodie & prece & precio quisquã sacerdotium, & cum Simone in ciuitate domini uirtutum iniquũ aliquid molitur. Caro & sanguis alteri (& aliquando puero: ut ueh, sit

Eccle. 10. terræ cuius princeps puer est) nonnunquam piorũ morum & sacrarum litterarum ignaro sacerdotium tribuit, & pontificatum, tunicam prœbet, ac coronam in capite sacerdotalem. Is inertem, ociosam, in scandalumque pusillorum impudicã, cupidam, & ambitiosam uitam ducit, & interdum etiam scientiæ gna

Luc. 12. rus sciens uoluntatem domini sui, & non faciens, ut plagis uapulet multis se dignum gehenna efficit, numeroso hominum potiusquã uirorum stipatus famulatu dilatat philateria sua, & magnificat fimbrias,

amat primos accubitus,& primas cathedras, salutationes,& uocari Rabbi,quodq́ deterius,& magis deflendum est:duo,tria,quattuor,pluraq́ sacerdotia plures ecclesiæ (ut una sit sponsa,reliquæ concubinæ) plura etiam cœnobia,& xenodochia (ac si desint sacerdotes) uni sacerdoti & antistiti, qui nec suo nec etiam alterius presulis suffragio sacra ibi ministrat, aut sacris inseruit regenda traduntur,seu ut curiali utar uocabulo cõmendantur. Quale est hoc sacerdotium? Qualis is pontificatus:qui prætermissa populi & gregis sui cura solis terrenis colligendis fructibus,solis diuitijs carnalibus,soli externæ gloriæ innititur: internam autem nec cogitat,nec animaduertit,quũ sacra inquiat sapientia: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus? Et iterum. Hęc est gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ? Videamus ne lumẽ hoc,quod in nobis est (uel potius apparet) tenebræ sint,dum pompis his carnalibus intenti spiritum ita extinguimus. Hoc est quod nos monstra, & portenta, & ostenta pijs mentibus facit, & linguas serpentium hæresiarcharum in ecclesiam dei acuit. Hinc uiperea sibila Luteri,aliorumq́ pene innumerabilium serpentium in sacerdotes insurgendi sibi occasionem nacta sunt:cum iam abeunte spiritu qui uiuificat,& remanente littera quę occidit,carnales,& non spirituales adeo simus:ut iam ceciderit corona capitis nostri (gloria inquam illa, de qua uas electionis,& apostolicus concionator ait. Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce domini nostri Iesu Christi.) Hic sacerdotium, hic ara, hic uictima, hic holocaustum est. Surge Hadriane summe sacerdos (si tu es qui uenturus es & non alium expectamus) surge,induere fortitudine brachium domini,& uenti labro quod manui suæ datũ est purga aream Chri-

Matt. 23.
Psal. 44.
2. Cor. 1.
Matth. 6.
1. Thes. 5.
Psal. 139.
2. Cor. 3.
Tren. 5.
Gala. 7.
Esai. 51.
Matth. 3.

sti,congrega triticum,disperge paleas,expelle monstra hæc de agro domini, explode luem hanc de domo Petri,elimina scãdalum hoc de plebe dei,iamq́;
Apoc.21. sonet uox illa in auribus nostris: Ecce noua facio omnia.

Gaudium ecclesiæ in aduentu pontificis & spe reformationis.

ADuentum tuũ in Italiam præsul beatissime supplicibus uotis hucusq́; prę stolati sumus, ubi sedes tua est, ubi sponsa tua Christi ecclesia,quanquam per uniuersum orbem diffusa Romæ tamen in beati Petri apostoli principatu uirtute quadam peculiarius congregata, dulcissimarum epithalamio nuptiarum,tuisq́; amplexibus fruitura, In lectulo meo per noctes (aiebat) quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum & non inueni. Sed
Cant.3. hoc hactenus. Nunc uero postquã te uicinum agnouit, temporisq́; paululum cum pertransisset. inueni (inquit) quem diligit anima mea, tenebo eum, nec dimittam,donec introducam in domũ matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ synagogæ,in sanctę illius terræ Christi sanguine consecratæ possessionem,ac ciuitatis Hierusalem,ubi regis nostri sepulchrum est recuperationem: quam subiugata a filio liberæ ancilla Agar maumethica impietate tuo sub pontificatu futuram speramus. Iam profecto postquam italicis oris appulisti audire uideor inter cantica illa Salomonis suauissima mysticam tuæ spon-
Cant.5. sæ uocem insonuisse, Dilectus meus misit manum suam per foramen,& uenter meus intremuit ad tactum eius. Iam per foramen (per foramen inquam
Matth.7. acus) per angustam & arctam uiam deducentem
Philip.5. ad salutem tua sancta conuersatione, quæ in cœlo
Eccle.26. est,& uniuerso orbi cognita Hadriane dei sacerdos maxime manum tuam misisti ad fortia.Iam ex ope-

tibus iustitiæ quæ ab ineunte ætate tua, & facere, & docere cœpisti senescentis ecclesiæ instaurationem, ac innouationem præ foribus assistere præsagimus, & mox affuturam coniectamus. Ideo ad tactum tuum uenter eius intremuit: quoniam te sanctam ciuitatem ingrediente, & flagello salutaris castigationis ementes & uendentes de templo domini te eijciente, ac mensas numulariorum, & cathedras uendentium columbas te euertente cōmouetur Christiana uniuersitas tibi desponsata dicens. Quis est hic? Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Contremuit uenter eius in tui uenerationē: quem ita sancte, ita munde, ita mire sine quopiam prorsus contagio ad hunc apicem electum, & uirtutibus omnibus redimitum, ac præditum perspicit, contuetur, admiratur clamans, Osanna, Benedictus qui uenit in nomine domini. Ioan.2. Matth.21.

Non consanguineis, non petentibus, non currentibus danda sacerdotia.

Benedictus profecto qui uenit in nomine domini, Si tu es qui uenturus es, & nō alium expectamus. Si tu tanquā alter Melchisedech summus altissimi dei sacerdos, rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia is es, cui caro & sanguis nō reuelauit Christum filium dei uiui, sed pater qui in cœlo est, & non secundum carnem, sed secundum deum in pontificem creatus facta carnis ita mortificata penes te ostenderis, ut non consanguineis, non affinibus, non currentibus, non petentibus, nō quærentibus, nō ambientibus, sed uocatis a deo, qui bene præsunt, & laborant in uerbo & doctrina uasa tabernaculi dei nostri, sacerdotia, altaria, infulas credideris, & non homini cuipiam, sed ecclesiæ, & plebi dei nostri consulendum duxeris. Hebr.7. Matth.6. Roma.8. Hebr.5. 1. Tim.5.

Non sint hæreditaria sacerdotia.

BEnedictus qui uenit in nomine domini, si abusum hunc de ecclesia excludas, ut in filios, in nepotes, in cõsanguineos iure quasi quodam cessionis hæreditario nullatenus ammodo trãseant sacerdotia, pontificatus, magistratus: sed omnibus bonis sacrarum litterarum peritia, ac uirtutum decore præstantibus uiris, uocatisq́ & non a se uenientibus, quos de uniuerso christiano orbe penes te pater Beatiss. in scheda descriptos habeas sint cõmunia, hocq́ ueluti quodam uirtutis præmio ad bene merendum excitentur animi, qui hac hæreditaria sacrorum munerum in posteros, & suos transmissione ita hodie tepefacti sunt: ut assequendi brauij spe iam destituti a bonarum artium disciplinis, a sacris litteris, & (quod deterius est) a bene & beate uiuendo uti scandalizati & desperati penitus torpeant, & dormitent: qui si de labore potiundæ a te mercedis spes firma supersit tanquam a longo somno perciti, ad uirtutes, ad litteras, ad ingenuos mores mox se conuertent, & quorum hodie penuria tanta est, pro patribus tuis nascentur tibi filij: quos cõstituas principes super uniuersam terrã. Vix enim sacerdotium aliquod traditur, ut iam in quo illud ex agnatis collocent impetrata etiam regrediendi facultate, ne de posteritate aut domo excidat, nostræ ætatis sacerdotes & pontifices proh dolor excogitarint, ingentemq́ ob id pecuniarum summã profundere haud recusent, & pertimescant.

Doctrinam & Verbum Dei.

2. Tim. 2. BEnedictus qui uenit in nomine domini: si uerbum dei alligatum, & adulteratum non patiere: sed assurgas sicuti Helias propheta qua- *Ecclesiastici.* 48. si ignis, & uerbum tuum quasi facula ardeat, mit-

tasq; in mundum uniuersum prędicare euangelium, Mar. 16.
emittas (inquam) uerbum & liquefacias corda im Psal. 147.
piarum gentium, hęreticorum, schismaticorū: quorū
hodie semina passim iactata, & sparsa cōspiciuntur.

Bonorum sacerdotum & ministrorum electio.

BEnedictus qui uenit in nomine domini, si gre- Luc. 2.
gem domini pastoribus, qui custodias noctis
super eum agant, & a lupo tueantur, ecclesias
pontificibus, qui potentes sint opere & sermone, & Tit. 1.
exhortari in doctrina sana, animamq; suam pro oui Ioan. 10.
bus ponant, & non mercenarijs, Cœnobia sanctis
monachis, ac religiosis uiris, qui sua, & aliorum pec-
cata defleant, deum die noctuq; laudent, pro popu-
lo orent, interueniant, interpellent (pro quibus &
fundata, & dotata sunt) & non militibus, non mer-
catoribus, non uenatoribus, non lenonibus, non hi-
strionibus tradideris, sponsumq; una cum sponsa ec
clesia, & non cum adultera aut concubina (ut te fa- Roma. 7.
cturum sancte antistes ingenue speramus) inhabita-
re compuleris, ut gaudeat sponsus super sponsam, &
non uocetur ultra derelicta, desolata. Esa. 62.

Purga Romam purgatur mundus.

BEnedictus qui uenit in nomine domini: si auari-
tiæ & cupiditatis immensam propemodum uo
raginem, qua curiales nostri hodie immerguntur, ua
framq; lucrandi artem, quæ Romæ passim domina
tur, & in postulatis, spiritualibusq; gratijs impetran
dis nescio quas pecuniarias compositiones, seu ex-
pilationes procul ab urbe exploseris, impudicitias
sacerdotum, quæ uulgo etiam in pusillorum scanda
lum adeo notæ sunt, ut iam tegi minime possint lon
ge a sancta ciuitate exulare iusseris, ut refectis olenti
bus, ac pungentibus, & nocuis herbis Roma hortus
sit, & paradysus (ut par est) spiritualium deliciarū,

ac ciuitas sacerdotalis, inhabitetq; in ea genus ele-
1. Pet. 2. ctum, regale sacerdotium, gens sancta. Porro cum Romana ecclesia sit caput, mater, & magistra omnium ecclesiarum, ea infecta & reliquæ facile inficiuntur ecclesiæ, & ea purgata, præclarisq; uirtutibus, & moribus instaurata, reformata reliquæ instaurantur, reformantur ecclesiæ. Purga Romam purgatur mundus. Instaura, reforma Romã instauratur, reformatur orbis uniuersus, destruentur hæreses, dissoluentur sectæ schismaticæ, supplicia colla reges & principes submittent pontificibus, lunaq; (ut decet) soli obsecundabit. Nil enim (ut arbitror) ipsos principes ad sponte obtemperandum pontificibus magis allicit, trahit, & impellit, quàm uita sancta, uita immaculata. In ea enim non in auro, & argento, terrenisq; opibus religio nostra, pontificatusq;, & sacerdotij uirtus, ac robur firmantur, soli-
Roma. 12. dantur, Nolite (inquit) apostolus conformari huic
2. Tim. 2. sæculo: sed reformamini in nouitate sensus uestri. Et iterum, Nemo militans deo implicat se negocijs sæ-
2. Cor. 10. cularibus: Et in carne ambulantes non secundũ car nem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt: sed potentia deo.

Concordia inter Principes, bellum in turcas.

Iob. 25. Benedictus qui uenit in nomine domini: Si tu rex pacificus faciens concordiã in sublimibus Christianorum regum arma, cordaq; mutuo nunc dissidentia inuicem reconcilias, cum triumphoq;, ac uexillo crucis inuictissimæ in hostem religionis reflectas, conuertas, sacrumq; Imperium Orientale de immunda, ac tyrannica seruitute ereptum Christo offeras. Nihil enim omnino ambigo te una cum ea de qua memini piorum morum instauratione, ac foelicissima in turcas expeditione uti lapidem angula-

rem

rem (instar Christi) cuius locũ tenes, facturum utra- Math. 21
que unum, Ecclesiamq́ orientalem occidentali pro Ephe. 2.
culdubio connexurum fore. Nihil sane est quod ma
gis opus hoc sanctũ, faustumq́ impediat, nostrosq́
Principes discordes efficiant, quàm ea peccata, illæ
iniquitates: quę inter Deum & nos diuiserunt, eiusq́ Esai. 59.
faciem iuxta prophetam absconderunt à nobis, ne
exaudiat, & prohibuerunt bonũ a nobis: quoniam Esai. 50.
in iuiquitatibus nostris uenditi sumus.

Postulatorum ratio.

HÆc quanquam a tua. B. pro sua maxima in-
tegritate, & sanctimonia fieri nequaquam
ambigamus: sed certo certius teneamus, idq́
omnes religiosi, & Christiani uiri sibi constantissi-
me polliceantur, nec a quopiam hominum ignore-
tur, hoc iam tui esse instituti, tuoq́ animo firmissime
inhærere pater sanctissime, nunquam ue opus esse ti
bi in ea re supplicare quicquam: in quam, non mo-
do sponte inclinaris, uerum & cor tuum omne, men
tem tuam omnẽ penitus contulisti, tuq́ longe me-
lius quàm nos ipsi, quid nam in re Ecclesiastica agen
dum sit sapientissimus noris: qui etiam in minoribus
constitutus contra sacerdotiorum pluralitatem, &
scripsisti, & probatissime inuectus es: at quoniam
& ipse supremus rerum conditor omnia sua infalli-
bili prouidentia agnoscens, nobisq́ semper bene &
fœlicissime optans, ac quid nobis conducat satius
admodum, quàm nosmetipsi, sua diuinitate conspi- Math. 6.
ciens, de altoq́ perspectans, rogari tamen, obsecra-
ri, orari, atque (importune etiam) assiduis precibus
pulsari uult dicens. Oportet semper orare, & nun- Luc. 18.
quam deficere, & pulsate & aperietur uobis, nõ in-
decens, non absonum, nec me temerarium arbitror,
si te quoq́ ipsius dei nostri in terris Vicarium in tan-

to ac tam necessario opere rogauero, obsecrauero,
2.Reg.19 orauero, pulsauero. Zelo enim zelaui super domo Israel, a tenerisq́ unguiculis, quibus sacris initiatus in ordine Ecclesiastico usque ad hanc ætatem Christo militaui nihil mihi optabile magis fuit, quàm ui dere hunc diem, eumq́ Pontificem: a quo Ecclesiæ
Sap.8. reformationem sperare, & contueri possimus. Hanc amaui, hanc concupiui a iuuentute mea, in eoq́ negocio (si quid sum) prætermissis Rachelis amplexibus tibi antistes beatissime (immo Deo meo) non septem modo annis, sed usque in finem uitæ cupiens
Gene.29. anathema fieri pro fratribus meis pro Lia famula-
Rom.9. turus ad sanguinis etiam, ipsiusq́ uitæ effusionem intrepide & inconcusse laborabo, inuigilabo, insudabo, decertabo, dicam quoq́ cum Sene illo præstan
Luc.2. tissimo, Nunc dimittis seruum tuum domine secundum uerbum tuum in pace.

Vrbis Fauentiæ triumphus & gloria.

Gene.18. Fauētia DEnique postquam ausus sum alloqui te dominum meum Christum domini, cum sim puluis, & cinis, loquar adhuc, nec prætermittam, quin pro populo tuo, & pro ciuitate tua hac Fauentina, quæ pro seruantissimi patris Cardinalis san
Dan.8. ctæ Crucis uoto, a sacro. S.R.E. Cardinalium senatu, meo regimini credita est apud tuam. B. pater sanctissime orem ac interpellem. Sicuti enim eos suscepi in filios, ita & pro eorum salute die noctuq́ mihi
Gala.4. inuigilanti dicere cum Apostolo necesse est. Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in uobis. Pro illis sane tuæ. B. Præsul clementissime in hoc non possum preces non porrigere, ut quoniā contristati sunt in uarijs tentationibus, ita ut proba
1.Pet.1. tio fidei suæ multo preciosior sit auro, quod per ignē

probatur,sic apud tuam apostolicam cœlsitudinem inueniantur in laudē,et gloriam,& honorē reportantes finem fidei suæ. Bonū enim certamen certarunt, cursum cōsumarunt,fidem seruarunt. Cæteris enim pœne omnibus Flaminiæ ciuitatibus tumultuantibus,hæc pace,unitate,ac in.S.R.E.deuotione firma semper,inconcussaq́ permansit. Dum plures in circuitu eius urbes factionibus, dissidijs, seditionibus, cædibus, depopulationibus operam impenderent, hæc paci,quieti,unitati,iustitiæ cultui, deuotæq́ ac syncerissimæ obedientiæ uacauit, & in medio ignis non est æstuata,ingenueq́ fatebor Fauentinum populum hunc (his potissimum temporibus quibus apost. sedes ac si uacans diu abfuit suspitionum plenis) me non modo in dictatorem, sed in patrem habuisse,potiusq́ uti parenti quàm dictatori paruisse, obtemperasse, quanto'ue magis cæteræ urbes turbationibus quaterentur hanc maiori semper cōcordiæ,in Apostolicamq́ sedē, & in.S.R.E deuotioni, ac fidei studuisse, insudasse, dignam profecto (quia legitime certauit)coronam a tua.B.percepere. 2. Tim. 4. Eccles. 51. 2. Tim. 2.

Fauentiæ insignes dote, & præstantia.

FAuentia urbs inter cæteras. S.R.E. urbes memoratu non indigna est, non uulgaris, non obiter prætereunda, sed erga deum pietate,& religione pręclara:quę diuino cultui,sacrisq́ cęrimonijs singulari affectu ac summo studio dedita est, uetustate insignis, fide, & deuotione erga Principes (Romanos Pontifices præcipue)celebrata, acutissimis ingenijs in omni cum liberalium, tum aliarum disciplinarum genere(militiaq́ potissimū) præstantissima:quæ philosophis,iureconsultis, uatibus,oratoribusq́ spectatissimis, militaribus uiris, ac stre- Fauētia

nuis copiarum præfectis & castrorum ducibus bel lo pacicꝗ aptissimis & fuit, & est refertissima, situ amœna, fertilis agri planicie & apricis collibus fru gifera, ac speciosa, ędificijs tam publicis quàm priua tis egregia, mœnibus & aquis(quam Hamonis am nis præterfluit)munitissima, gentis nobilitate cõspi cua, populosa admodũ, ciuilis, iucunda, omnibusꝗ politicis institutis ornatissima, & illa quidem urbs: quam tua amplitudo pater beatiss. sua clementia, sua benignitate, & gratia peculiari inter cęteras Fla miniæ urbes complecti debeat, & teneatur, ue reꝗ Fauentia: cui largitione & immunitatibus a. T. B. merito fauendum sit.

Fauentia portus fluctuantis Flaminiæ.

HÆc cæteris urbibus uasta factionum tempe state fluctuantibus naufragorũ portus, mise rorumꝗ ac oppressorum, qui ad ea confuge re, in eaꝗ tuti, quieti, ac securi adhuc degunt, perfu gium, solatium, iuuamen, & tranquilla requies fuit. Tot enim ex omni pœne prouincia in hac turbatio ne ad eam conuenere cum uiri tum mulieres, in eaꝗ gratum domicilium elegere, ut earum omnium ciui tatum Colonia dici possit.

Fauentia ab omni contagio libera.

HAnc inter tot ignes ambustam, inter tot sco pulos & circũruentes procellas tutam, inter tot sentes illæsam, inter tot tumultus pacifi cam, inter tot strepitus, quietam, inter tot dissidia unitam, concordemꝗ, inter tot cædes, depopulatio nes, rapinas innocuam, inter tot defectiones fidelẽ, deuotam, demumꝗ inter tot scelesta facinora, quæ in circuitu eius patrata sunt, mundam, illibatam, inte meratamꝗ fauente domino tuę. B. reddo, trado, & supplex offero.

Postulatorum finis & scopon.

HÆc me quanquam rudi planoq́ dicendi genere (summo tamē affectu) ea charitas, quæ non quærit quæ sua sunt, & non in sapientia uerbi, neque in sublimitate sermonis: sed in sapientia dei in mysterio scribere compulit. Neque me temerarium arbitratus sum si pontifex, & apostolici sacerdotij grauatus onere uerear ne forte cum illo propheta cogar quandoq́ dicere, Veh mihi, quia tacui. Domus enim hæc mystica spiritualisq́ ita hodie terrestris effecta est: ut ni spiritu reparetur, & istauretur pene dissolui, pene ruinam minari uideatur. Et si tu maxime dei sacerdos in illam, quam domum dei decet sanctitudinem (ut certa nobis spes est) Christo duce eam restitues, Tu gloria Hierusalem, tu letitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Gloria Libani dabitur tibi, decor Carmeli, & Saron. Tunc salient in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Vbi dracones habitant orietur uiror calami, & iunci, & erit ibi semita, & uia sancta uocabitur. Non transibit pollutus per eam. Nō erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam.

1. Cor. 13. 1. Cor. 2. Esa. 6. 2. Cor. 5. Psal. 92. Iudit. 15. Esai. 35.

DE MODERANDA TEMPORALI

Ecclesiæ ditione perbreuis Suasoria: quæ inscribitur: Non habemus hic ciuitatem permanentem.



POstquam de his quæ ecclesiæ spiritui conducant tibi tanquam diuinorum summo antistiti præsul sanctissime pro meo officio silendum nequaquam duxi, non prætermittam quoque de temporali ecclesiæ dote, ac subcinericio pane: quo usque ad montem 3. Reg. 19

Dei Oreb temporaliter subsistere posit: quid sentiam breuissime aperire. Et quanquā quanto a terrenis peculijs, corruptibiliqꝫ humanarum rerū possessione libera magis est tāto deo uicinior sacerdotalis uita & cōsuetudo fiat, longeqꝫ beatius sit, si spiritualibus diuinisqꝫ rebus fixa tantummodo inhæreat, q̄ inferioribus curis inuoluatur: quoniā non habemus

Hebr. 13. hic ciuitatem permanentem, sed futurā inquirimus: at quoniā id humana imbecillitas sibi facile persuadere nequit, sanctorumqꝫ patrum authoritas id uel in usum duxit, uel potius tolerauit, os in cœlum nequaquam ponam, neque patribus meliorem me existimabo.

Differant sacerdotes a laicis in dictatura.

CVm itaque prouincias, urbes, terras, oppida, castraqꝫ possideat ecclesia, ita per hæc temporalia bona transeundum est, ut non amittamus firma, perpetua, æterna in cœlo, sintqꝫ tanta seruitute spiritui obnoxia, ut ei famulentur nō dominentur, sint in ædificationem, non in destructionem.

2. Cor. 10. Populos enim innumeros subditos habet temporalis ecclesiæ authoritas sic: ut præ multitudine dinumerari nequeant: sed ut sacerdotum, & sæcularis potentiæ magistratus (ut decet) inuicem longe differant: illi populis dandi sunt dictatores, moderatores, rectores, iudices: qui ab omni cupiditate, & tyrannide immunes, populos non uti seruos aut mancipia, sed uti filios paterno affectu moderentur, & diligant, eis uti parētes æqua lance ius dicant, ipsos magis charitate & humanitate, quam imperio ad fidem, ad iustitiæ censurā, ad obedientiam alliciant, seqꝫ & munditię & integritatis speculum illud exhibeant: in quo omnem bene beateqꝫ uiuendi normā populi intueantur, contemplentur, admirentur. Hoc

est beatissime pontifex (ut tua maxima prouidentia nouit) quę magis quàm armata, militarisq́ manus, aut uirga ferrea populos (ut plurimum) regit, domat, subijcit. Nam super filios temporalis ditionis tuæ nõnullis in locis tot tantaq́ grauamina, tot quęstorum expilationes, tot ad persoluenda militibus statiua equorum insupportabilia onera excreueret ut nisi computrescat iugum hoc a facie olei clementiæ tuæ uix tranquillitate aliqua frui possint. Quãobrem cũ omnes hi filij tui uti Mosem alium adeo missum, quo ab hac seruitute eripiantur diu te in silentio & in spe præstolati sint, in te spem omnem fecerint, tuum est clementissime pastor confortare manus dissolutas, & genua debilia roborare. Hæ sunt supplicationes meæ, hæc postulata, mea: quæ in tuo hoc in Italiam fęlicissimo aduentu mihi (imo populis tuis) benigne annui, præstariq́ enixissime oro. Quicquid tamen dictũ est id tuæ pater beatiss. sanctæq́ dei ecclesiæ censuræ, ac iudicio post beatorum pedum oscula supplex & deuotus subijcio. Dat. Fauentiæ pridie Cal. Septemb. M.D.XXII. suscepti a te apostolatus anno primo.

Esa. 10.
Esa. 30.
Esa. 35.

Aurea terrigenis ætas, & sancta redibunt
Sæcula, si ritus hos pia Roma tenes.